



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus HUMANIS. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Qvaestio XIV. De Consilio. In Sex Articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

ita quando non potest eo modo obtineri quo intendis, nisi per certum medium, necesse est illud eligere: nam tunc cetera non censentur utilia. Itaque qui efficaciter vult non solum saluus fieri, sed securissime saluus fieri, necesse est fugiat mundum, & eligat Christi consilia. Qui vult citissime fieri Theologus, necesse est eligat viam methodicam & compendiarium.

Hinc sequitur, si duo sint media aequè utilia ad finem intentum consequendum, ex vi intentionis non posse alterum alteri praeferi; sed necessarium est ut id fiat ob aliam causam, vel certe pro nudo arbitrio voluntatis.

Dico Secundo, Quando sunt plura media ad finem utilia, & finis non intenditur sub certo aliquo modo, non est necessarium eligere id, quod est utilissimum, sed potest eligi minus utile. Probatur, quia nullum ex his est determinatè necessarium ad finem, cum per quodvis ex illis possit obtineri. Confirmatur experientia in electione statuum: Etsi enim status consiliorum sit ad salutem utilissimum medium, non tamen omnes illum statum eligunt; quia sufficit illis, si aliquo modo possint salvi fieri.

Contra Obijcitur Primo, Electio est appetitio praconsultati, teste Arist. 3. Ethic. c. 3. & 4. id est, eius quod per consultationem antè iudicatum est, ut ipse explicat. Atqui fieri nequit ut iudicium consultationis, quod est consultationis conclusio, sit de medio minus utili, nisi forte per errorem intellectus, quem hic excludimus: ergo fieri nequit ut medium minus utile eligatur, relictis utilioribus.

Secundo, In electione necesse est vnum praeferi alteri in ordine ad finem; Nam electio est de duobus vel pluribus acceptatio vnius pra alijs, ut Aristot. docet lib. 3. Ethic. c. 3. ex ipso nomine Graeco, προαίρεσις enim dicitur ἕως πρὸ τῶν ἀλλοῦ ἀπορίων, id est, quod praeter ceteris est eligendum.

Respondeo, Dupliciter fieri posse electionem inter plura media.

Primo, Ut in acceptatione mediorum solum habeatur ratio utilitatis ad finem, & sic fieri nequit ut quis eligat medium minus utile, relicto utiliori. Ratio est, quia medium minus utile, etiamsi per se consideratum sit utile ad finem, tamen comparatum cum medio utiliore non est utile, sed inutile; ac proinde fieri nequit ut praeter altero acceptetur: nam inutile censetur malum: malum autem per se non potest appeti. Atqui hic modus proprie significatur nomine electionis apud Aristotelem. Vnde concedendum est, si nomen electionis strictè accipiatur (scilicet pro appetitione vnius medij praeter altero; habità solius utilitatis ad finem consideratione) fieri non posse ut eligatur medium minus utile, relicto utiliore. Sed passim non ita strictè hoc nomen accipitur; neque in electionibus faciendis haec sola utilitas ab hominibus spectari solet.

Secundo igitur modo fieri potest electio inter plura media, ita ut praeter utilitatē ad finem primum, spectetur etiam utilitas ad alios quosdam fines, & sic eligatur medium minus utile ad finem praecipuum, relicto utiliore ad eundem finem. Sic aeger eligit medicamentum suave, et minus efficacax praeter amaro efficaciore; quia non solum intendit sanitatem, sed etiam voluptatem. Sic multi eligunt statum matrimonij, relictis consilijs, quia non solum intendunt salutem, sed etiam commoda & voluptates huius vitae; quas putant esse in matrimonio.

Hinc omnis error in electione status; cum enim in hac electione quisque hoc tantum spectare deberet; qui status consideratis omnibus circumstantijs, futurus ipsi videatur utilissimus ad suam salutem, & ad Dei gloriam; multa alia spectat tamquam fines quosdam saltem secundarios; quae ad hanc tantum vitam pertinent, ut commoditates, honores, & similia; sicque fit ut medium salutis periculosum & minus utile praeferat securo & utilissimo.

Quo modo necesse sit ut electio sit medij utilioris, & quo modo non.

Vnde error in electione.

Quid, si finis non intenditur sub certo modo.

17 Soluitur obijctio.

Q V A E S T I O X I V.

De Consilio.

ARTICVLVS I.

Vtrum Consilium sit inquisitio?

Conclusio est. Consilium est inquisitio seu quaestio quaedam. Patet ex Arist. 3. Ethic. cap. 3. vbi dicit, omnem consultationem esse inquisitionem, non contra. Idem docet Nemesius lib. de Homine, c. 34. & Damasc. lib. 2. de Fide cap. 22.

Nota Primo, Consilium seu Consultationem, quae & Deliberatio dicitur, proprie esse inquisitionem mediorum ad finem utilium. Vnde continet varios actus intellectus, nempe considerationem causarum, effectuum, & circumstantiarum, quae ad rectè iudicandum sunt necessariae. Ex hac inquisitione sequitur Iudicium, quod est effectus consilij, & versatur circa consilij conclusionem. Vtrum autem debeatur iudicium censeretur pars consilij, vt

vult Caiet. hoc loco; an effectus, parum refert. D. Thomas hoc loco dicit, iudicium esse post consilium, vnde videtur sentire non esse partem, sed effectum; idque magis est consentaneum communi modo concipiendi, & Aristot. 6. Ethic. cap. 9. & 11. vbi distinguit ἐπιβουλίαν & γνῶμην, id est, bonam consultationem, & iudicium equi & boni. Ratio est; quia consilium est inquisitio. Atqui inquisitio cessat accedente iudicio: ergo iudicium non est pars consilij. Deinde saepe habetur consilium sine conclusione; ergo conclusio non est pars.

Aduerte tamen, nomine consilij saepe intelligi iudicium; nam effectus appellantur nominibus causarum; vt cum dicimus, hoc est meum consilium.

Nota Secundo, Consilium proprie non conuenire Deo, quia Deus non inquit quid agendum; sed quidquid in quouis negotio per totam aeternitatem

Consilium non conuenit Deo aeternitatem

Consilium seu Consultatio, quid.

Iudicium, quid.

Conuenit Angelis.

nitatem expedit facere, id ei ab aeterno cum omnibus circumstantijs est præfens. Secus de Angelis: non enim statim illis est præfens quid in omni negotio circa hominum gubernationem agendum; nam sæpè plurima sunt consideranda tum præsentia, tum futura, quæ Angelo non statim sunt obuia. Itaque & per se inquirunt; & Deum in dubijs consulunt, vt ex Scripturis colligitur. Si tamen consilium accipiatur pro iudicio de rebus agendis, quod iudicium in nobis est terminus consilij, sic tribuitur Deo in Script. ad Ephes. 1. Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.

ARTICVLVS II.

Vtrum Consilium sit de his, quæ sunt ad finem?

Consilium est de medijs, non de fine.

Conclusio est. Consilium tantum est de medijs, non autem de fine. Ita expressè Arist. 3. Ethic. c. 3. Nemescius & Damasc. supra. Ratio est; quia in omni deliberatione rerum agendarum, debet supponi aliquis finis, vnde tota deliberatio tamquam ex principio dependeat. Sicut in omni inquisitione veritatis speculatiuæ, necesse est supponi aliqua principia speculatiua, ex quibus inquisitio dicatur.

Dices, Interdum consultant homines, quidnam loco finis sit habendum, vtrum bona huius vitæ an futuræ; vtrum Deus Christianorum, an dii Gentium, vt patet 3. Regum 18. ergo etiam de fine est consultatio.

Potest esse consultatio de fine materiali.

Respondeo, Possè esse consultationem de fine materialiter considerato, id est, de rebus illis, in quibus ratio beatitudinis, vel boni humani sit constituenda. Sed in hac consultatione, beatitudo in communi supponitur tamquam finis, vnde ducatur consultatio; res autem illæ in quibus quaritur beatitudo, habent se per modum meliorum; quia de illis fit inquisitio propter rationem formalem beatitudinis, sicut dictum est de electione. Nam eodem modo de his rebus est consultatio, quo electio, & contra.

ARTICVLVS III.

Vtrum consilium sit solum de ijs, quæ a nobis aguntur?

Affirmatur.

Concl. Consilium est solum de ijs quæ a nobis agenda sunt, vel ab ijs, quorum actiones quodammodo sunt in nostra potestate. Ita Aristot. Nemesc. & Damasc. supra. Consultamus enim de ijs quæ per seruos nostros sunt agenda, quibus possumus imperare: & de ijs quæ per amicos, quos possumus rogando inducere. Nemo autem consultat de ijs quæ nullo modo sunt in eius potestate, vt sic vel aliter fiant: vt de rebus necessarijs vel ipsi impossibilibus, quia frustra esset talis consultatio.

ARTICVLVS IV.

Vtrum consilium sit de omnibus quæ a nobis aguntur?

Conclusio est. Consilium non est de omnibus: sed solum de dubijs alicuius momenti. Probatur; quia nemo consultat de ijs, ad quæ naturâ vel arte est determinatus, vt ait Aristot. supra, v. g. Scriptor non consultat quomodo singulas formet litteras; similiter nemo de rebus minimis, vbi nihil refert, sic vel sic fiant.

Consilium est solum de Dubijs.

Notandum circa Resp. ad Primum non semper opus esse propriè dicta consultatione ad electionem; vt quado statim & per se est euidentis, quodnam ex medijs præstet ceteris in ordine ad finem, nam consultatio solum est de dubijs.

Electio fit subinde sine consultatione.

Dices, Quomodo ergo Aristot. 3. Ethic. cap. 3. ait idem esse consultabile & eligibile. Item electionem esse appetitum praconsultati.

Respondeo, Quia vix vnumquod sit propriè dicta electio, absque consultatione præuia, quæ vel tunc fiat, vel olim facta sit; etsi enim Scriptor nunc non deliberet de singulis litteris, olim tamen de singulis deliberatum est. Ratio est; Quia raro fit vt propositis pluribus medijs, quæ antea non expendimus, statim primo obiectu nobis sit perspicuum, quodnam ex illis præstet in ordine ad finem. Itaque ferè semper opus est aliqua inquisitione, quamuis breui. In Angelis verò sapissimè fit electio sine consultatione. In Christo Domino nunquam opus erat consultatione, quia statim omnia illi erant præsentia. Semper tamen ad electionem requiritur iudicium, quod in nobis est consilij terminus.

Angeli sepe non consultant. Christus nunquam.

ARTICVLVS V.

Vtrum consilium procedat ordine resolutorio?

Concl. Processus consilij fit secundum ordinem resolutorium. Notandum est, Resolutionem & compositionem propriè tantum habere locum in toto & partibus, siue essentialibus, vt sunt materia & forma; siue integrantibus, vt sunt partes mundi, corporis humani, &c. nam propriè ex solis partibus est compositio, & in eas solas fit resolutio. Ordo tamen seu modus quidam resolutionis & compositionis, etiam in alijs seruari potest, quæ etsi non se habeant vt totum & partes, tamen cum his habent quamdam analogiam, vt videmus in fine & medijs. Nam etsi finis non componatur ex medijs tamquam partibus, vel causis intrinsecis; tamen vt existat vel comparetur, necessaria sunt media tamquam cause naturæ priores, per quas obtineatur: sicut vt existat totum, necessaria sunt partes quibus constet. Itaque in consultatione seruatur ordo resolutorius; quia primò consideratur finis, quem volumus obtinere, tamquam totum quoddam completum. Deinde consideramus media, tamquam causas ad finis consecutionem necessarias; vnde finis resoluitur in media, tamquam suas causas.

6

In consultatione seruatur ordo resolutorius.

Dices,

7 Dices, Procedere à causis ad effectus, est ordo compositionis, vt inquit hic D. Thomás in Corp. atqui processus à fine ad media est processus à causa ad effectus: ergo est ordo compositionis, non resolutionis.

Processus à causis, quae suis effectibus sunt prioribus, est compositio.

Respondeo, omiſſa ſolutione Caietani, D. Thomam eſſe intelligendum de proceſſu ab illis cauſis quæ ſuis effectibus ſunt prioribus, non ſolum intentione, ſicut finis: ſed etiam exiſtentiâ; vt materia, forma; cauſa efficiens, tam inſtrumentalis quàm principalis. Proceſſus ab his cauſis ad effectus eſt proceſſus compoſitionis. Vnde proceſſus executionis eſt proceſſus compoſitionis, quia in eo proceditur à cauſis exiſtentiâ prioribus ad effectum: verum proceſſus ab effectibus ad has cauſas, eſt reſolutorius; quia eſt in ea, quæ neceſſariò requiruntur tamquam priora ad exiſtentiâ effectus. Quare eum proceſſus à fine ad media, ſit proceſſus ab effectibus ad cauſas efficientes, eſt reſolutorius.

Nec obſtat quod finis vicifiſim ſit cauſa mediocrum; quia non eſt ſic cauſa, vt eius exiſtentiâ realis ſupponatur ad exiſtentiâ mediocrum: ſed potius vt ſit poſterior. Vnde ſit, vt medium non

conſeatur reſolui in cauſam finalem. Adde in conſultatione non queri media tamquam effectus finis, ſed tamquam cauſas, per quas finis producatut vel obtineatur.

ARTICVLVS VI.

Vtrum conſilium procedat in infinitum?

8 **C**oncl. Omnis conſultatio eſt finita & ex parte principiij, & ex parte termini. Probatut, quia in omni conſultatione ſupponitur intentio alicuius finis, de quo nulla ſit conſultatio vel cõtrouerſia. Ex hoc fine tamquam principio deducitur tota conſultatio ad media certo ordine vſque ad extremum medium, quod eſt in executione primum; itaque ibi ſiſtit conſultatio. Hinc illud receptum, *Id quod eſt primum in executione, eſt vltimum in intentione, & quod eſt primum in intentione, eſt vltimum in executione.* Vide D. Tho.

Omnis conſultatio eſt finita.

QVÆSTIO XV.

De Conſensu.

ARTICVLVS I.

Vtrum Conſensus ſit apprehenſiua virtutis, an appetitiua?

1 **C**oncluſio eſt, Eſſe actum facultatis appetentis. Probatut; Quia conſensus dicit applicationem facultatis appetentis ad rem quæ cognitione proponitur.

Conſensus variè accipitur.

Notandum, Nomen *conſensus* variè vſurpari. Primò, Pro concordia iudiciorum, ſiue in ſpeculatiuis, ſiue in practicis; ſic dicimus Theologis conſentire.

Secundò, Pro concordia voluntatum; ſic dicuntur conſentire, qui idem volunt, & idem nolunt.

Tertiò, Accipitur pro actu voluntatis conformantis ſe iudicio intellectus. Dum enim voluntas acceptat quod intellectus iudicat eſſe bonum vel vtile, idem quodammodo ſentit quod intellectus, ac proinde illi conſentit. Sentire enim voluntatis, eſt velle & nolle.

ARTICVLVS II.

Vtrum conſensus conueniat Brutis?

Negatur.

Concluſio eſt Negatiua. Ratio eſt, Quia conſentire eſt applicare motum appetitus ad id quod cognitione proponitur. Atqui bruta non habent in ſua poteſtate ſuos motus, vt poſſint eos applicare, vel non applicare. Nam propoſitis

obiectis, ex inſtinctu naturali ad ea determinantur; ac proinde non tam à brutis applicantur ad obiecta, quàm ab Auctore naturæ, qui naturales inſtinctus inferuit. Vide ſuprà quaest. 1. art. 2.

ARTICVLVS III.

Vtrum conſensus ſit de fine, an de ijs qua ad finem?

Concluſio eſt, Conſensum proprie eſſe de medijs, non de fine.

Conſensus eſt proprie de medijs, nõ de fine.

Prior pars patet, Quia conſensus eſt de ijs, quæ per conſilium definiuntur; ſed definitio conſilij eſt de medijs: ergo & conſensus.

Alter pars probatur; quia appetitus tendit in vltimum finem naturaliter; atqui conſensus eſt applicatio libera motus appetitus.

Notandum Primò; Hanc rationem ſolum probare de fine vltimo in genere, ſcilicet nos non proprie conſentire in vltimum finem in genere, ſeu abſtractè conſideratum, quia in hunc tantum naturaliter inclinamur: nam ſi conſideretur vt eſt in certa materia, non inclinamur naturaliter ſeu abſque conſilio. Eadem tamen ratio poteſt extendi ad omnia alia bona, in quæ naturaliter abſque villo conſilio inclinamur. Horum enim omnium appetitio non eſt libera, ſed neceſſaria quoad ſpeciem actus.

Conſensus etiam eſt in finem. non tantum in media.

Notandum Secundò, Eſt propriiſſimè dicimur conſentire in media, tamen hoc nomen non reſtringitur ad media; ſed omnis actus voluntatis acceptantis obiectum intellectu propoſitum, vocatur conſensus, & reſultantis diſſensus. Sic dicimur conſentire diuinæ inſpirationi, tentationibus,